

P V I S



1 6 0 3

CARMEN
 ELEGIACVM DE NATA
 LIDIE SERVATORIS NO
 STRIESV CHRISTI

IN GRATIAM ILLV.

STRISSIMI ET PIENTISSIMI PRIN
 cipis ac Domini, Domini BERNHARDI Principis
 Anhaltini, Comitit Ascantiae, Domini Serueste, &
 Bernburgi & c. Domini sui clemen
 tissimi, Scriptum

A

IO ANNE GERHOLDO

Seruestense.



VVITEBERGAE. 1570.

a

2430

p.





Esai: 9.

*Parvulus natus est nobis, & Filius datus est nobis,
& factus est principatus super humerum eius, &
vocabitur nomen eius admirabilis Consiliarius, Deus
fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis.*



Læta dies redijt, festum solenne salutis
Nostræ, quod sanctæ gaudia pacis habet.
Quilibet exultans igitur de pectore toto
Iubila grata DEO fundat ab ore pio.
Verbum promissum spaciosi gentibus orbis
Induit hac nostri corporis ossa die:
Vt genus humanum Stygij de faucibus Orci,
Mortis & eternæ deleat omne nefas.
Quod cum patre DEVS cælos terramq; creavit,
Quicquid & in terra viuit & arce poli.
Auricomus celso deluceat æthere phæbus,
Indicet hic, partus gaudia læta, dies.
Sacratum resonet iam dulci carmine templum,
Quisquis adest fundat supplice voce preces.
Ipse quidem celebrans Mariæ nunc carmine partum
Natalem referam CHRISTE benigne tuum,
Tu modò fac læti faustus sit carminis orsus,
Digna precor ceptis reddito verba meis,
Scribere quò possim tibi grata, salubria nobis,
Pectus diuino Flamine tange meum.
Augustus quando tranquilla pace regebat,
Romano populo iussa verenda dedit,
Mox Iudeorum circumdedit hostibus vrbes,
Et Bellona faces sumpsit acerba truces
Impete cum verò feruenti vicerat illos,
Imperij illorum frenaq; nactus erat,
Mittitur extemplò Syria Cyrenius æquus
Præses, qui certa lege præesset eis.

hull

A 2

Talibus

Talibus exactis cum cæsar senserat vrbes
Exhaustas nimium, militia atq; fame,
Edidit edictum subiecta per oppida Roma,
Omnes vt populi debita pensa darent.
Hoc citò decretum terrarum transijt in vrbes,
Transijt & rumor per loca cuncta volans.
Quilibet idcirco propriam properabat in urbem,
Edictiq; memor debita pensa dabat.
Talia dum fiunt, Ioseph, Davidis ad urbem
Cum casta Bethlem Virgine tendit iter,
Vt dicat nomenq; suum, nomenq; bonorum,
Atq; simul soluat iusta tributa Duci.
Illa grauis sequitur diuino pondere Virgo,
Virgo parens nati casta futura DEI.
Vt perfecta forent Michæe verba Prophetæ
Sancti, qui tales edidit ore sonos:
Vera DEI Soboles CHRISTVS nascetur in vrbe,
Quam dicunt iusto nomine Bethlemiam.
Nunc vbi (quam peterent) longis ambagibus urbem
Contigerant, subeunt mænia parua statim,
Hospitiq; simul vicini tecta subintrant,
Membra nimis somno lasa sopore darent.
Aureus oceânas nam sol penetrauerat undas,
Et benè conspicuus stellifer axis erat.
Excipit ingressos verbis hos talibus hospes:
Non vobis restat, ceditè mando, locus.
Propterea turgurij subeunt sub tecta propinqui
Pauperis, hospicij deficiente loco.

Illud

Hinc satis ut tanti miracula cognita parcas
Confestim redeunt ad sua septa gregum.
Atq; DEI laudes sublimi voce canentes
De nato, spargunt nuncia leta, DEO.
Salve de pura salve sate Virgine CHRISTE
Humano salve corpore recte puer,
Tu nisi de celso venisses cardine caeli
Assumens nostrae debile carnis opus,
Non reserata forent nullis claudenda diebus
Aeterni patris limina celsa poli.
Nunc sumus erepti Stygij de faucibus orci,
Nunc sunt & mortis spicula fracta trucidis.
Nunc est Serpenti nunc omnis adempta potestas,
Vincula nunc Stygiae sunt reuoluta domus.
Nunc reparata Salus, nunc pristina reddita nobis
Sunt, nulla poterit parte nocere Sathan.
Quas igitur referam grates tibi dulcis IESV?
Quae tibi pro meritis carmina Christe canam?
Laus tibi sit Genito, veram reparando Salutem
Tu nobis reseras limina clausa poli.
Gloria sit Patri Gignenti, numere cuius
Tu DEV Ses genitus, verus homoq; satus.
Spiritus sancto sit honos, conceptus in aluo
Cuius es afflatu Virginitatis ipse sacro.
At te Christe precor, nostrae tu causa Salutis
Humanae assumsti debile carnis opus,
Da veniam erratis, parcas, peccasse fatemur
Poenitet & toto corde fuisse malos.

In

In te vera Salus. in te spes nostra recumbit,
Da vobis tanta posse salute frui.
Sint mala cuncta procul, procul hinc depellito pestem,
Et fera bella procul pelle, famemq; leua.
Fac maneat sancti terris Lux integra Verbi,
Et maneat populo non variata tuo.
Quò tibi persoluat meritas Ecclesia grates,
Et resonet laudes hic & ubiq; tuas,

FINIS.

SOLIDEO GLORIA.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is mostly centered and appears to be in a historical or religious context.



[Faint, illegible handwriting in a historical script, possibly Gothic or similar, covering the upper portion of the page.]

[Faint, illegible handwriting, possibly a signature or a specific heading.]

[Faint, illegible handwriting, possibly a date or a reference.]



Jf 4600


ULB Halle 3
003 299 04X



sb.

1077





XV

14

CARMEN
LEGIACVM DE NATA
LIDIE SERVATORIS NO
STRIIESV CHRISTI

IN GRATIAM ILLV.
RISSIMET PIENTISSIMI PRIN
ac Domini, Domini BERNHARDI Principis
anhaltini, Comitis Ascanæ, Domini Serueste, &
Bernburgi &c. Domini sui clemen
tissimi, Scriptum

IO ANNE GERHOLDO
Seruestense,



VVITEBERGAE. 1570.